Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

cum fecit, et per me regit cum regit. Dixit hec. Sed quibus? Cecis, surdis, claudis, languidis, medicum non agnoscentibus, et tanquam in frenesi mente perdita occidere volentibus. Proinde quod secutus evangelista dixit: Hinc ergo magis iudei querebant eum interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat deum, non quomodocumque. Sed quomodo? Equalem se faciens deo. Nam omnes dicimus deo: Pater noster qui es in celis. Legimus et iudeos dixisse: Cum tu sis pater noster. Ergo non hinc irascebantur quia patrem suum dicebat deum, sed quia longe alio modo quam homines. Ecce intelligunt iudei quod non intelligit arrianus. Arriani quippe inequalem patri filium dicunt, et inde hereses pullulant de ecclesia. Ecce ipsi ceci, ipsi interfectores Christi, non eum intellexerunt, tamen verba Christi. Non eum intellexerunt Christum, non eum intellexerunt filium dei, sed tamen intellexerunt in illis verbis quia talis commendaretur filius dei, qui equalis esset deo. Quis erat nesciebant, talem tamen predicare agnoscebant, quia patrem suum dicebat deum, equalem se faciens deo. Non ne erat equalis deo? Non ipse se faciebat equalem, sed ille eum genuerat equalem. Si se ipse faceret equalem deo, caderet per rapinam. Qui enim se voluit equalem facere deo, dum non esset, cecidit, et ex angelo factus est diabolus, et hanc superbiam homini propinavit, unde ipse deiectus est. Nam hoc dixit homini, cum stanti lapsus invidit: Gustate et eritis sicut dii, id est usurpatione rapite quod facti non estis, quia et ego rapiendo deiectus sum. Non hoc proferebat, sed hoc suadebat. Christus autem equalis patri natus erat, non factus; natus de substantia patris. Unde illum sic commendat apostolus: Qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse equalis deo. Quid est non rapinam arbitratus est? Non usurpavit equalitatem dei, sed erat in illa in qua natus erat. Ut nos ad equalem deum quomodo perveniremus? Semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Non ergo se exinanivit amittens quod erat, sed accipiens quod non erat. Hanc formam servi contempnentes iudei, dominum Ihesum equalem patri intelligere non poterant, quamvis eum hoc se dicere minime dubitabant. Et ideo seviebant, et adhuc tamen eos ille proferebat et sanitatem sevientibus requirebat.

Item unde supra.

Nec auribus nec cordibus vestris renuant, [nota] reparant tamen [dicentis aut] audientium effectum, et quodam modo commemorata innovant nos. Nec pigeat ea que nota sunt audire, quia semper dulcia sunt que domini sunt. Sic est expositio divinarum scripturarum, sicut sunt ipse divine scripture: et note sunt, leguntur tamen ad commemorationem. Sic et expositio earum et si nota est repetenda est, ut vel qui obliti sunt commemorentur, vel qui forte non audierunt audiant, et qui tenent que audire consueverunt, repetendo fiat ut oblivisci non possint. Meminimus enim de hoc capitulo evangelii iam nos locutos caritati vestre; nec piget tamen eadem vobis commemorare, sicut non piguit eandem lectionem vobis repetere. Apostolus paulus dicit in epistula quadam: Eadem scribere vobis mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Ita et nos eadem di